



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Trecensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ritinæ tam Clericorum quam etiam laicorum, inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum præteriorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ sanctæ Mariae de Flumine & Domino Landulpho dilecto Abbatì ejusdem Ecclesiæ & universitate familiæ ejus, tam Clericis quam etiam laicis præfentibus & futuris plenam & perpetuam libertatem, abrenuntiando datae, malo usui, & omnibus exactionibus. Et si quis pro quounque crimine commissio ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego nec successores mei per me vel per ministros meos ei, dum ibidem fuerit, violentiam aliquam nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum heredum, vel in proditionem castrorum meorum, vel in combustionem ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus aut laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquando offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibandam. Salvo jure patronatus. De consilio igitur communii Domini Iordani Cardinalis & omnium Episcoporum & consensu Domini Iohannis de Ceccano institutum est ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Dathan & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri.] Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Sora xiv. Kal. Septembris, pontificatus nostri an, undecimo.

TRECENTI EPISCOPO.

^a Epif. 138.
Scribitur ad-
versus Canoni-
cos S. Martini
Trec.

Diligenter auditis & perspicaciter intellectis depositionibus testium qui de mandato nostro in causa qua inter dilectum filium P. electum ex parte una & V. Ia. Io. & A. Canonicos Ecclesiæ sancti Martini Trecensis ex altera vertebatur fuere recepti, de fratribus nostrorum conilio eundem electum ab impetitione ipsorum duximus absolvendum, fraternitati tua per apostolica scripta mandantes quatenus electo præfato ut super labe simoniæ pravitatis, qua illi objecta extiterat, cum tertia manu sui ordinis se canonicè purger, indicas, & eidem purgato facias à Canonicis omnibus obedientiam

& reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Canonicos vero prefatos, quos fuisse confitit contra eundem electum multipliciter malignatos, sicut etiam quidam eorum sponte confessi sunt coram nobis, ab invicem dividis, & ad agendum penitentiam in aliis monasteriis ponas eos, singulos in singulis collocando; ut Ecclesia memorata, quæ per insolentiam eorundem graviter est afflita, valeat respirare. Datum Sora xxi. Kal. Septembris pontificatus nostri anno undecimo.

IOHANNI DE CARBONE
ac Benedicto fratribus.

^b Epif. 139.
Confirmatio
per missam
ea inter eum &
monasterium
Casinense.

I Vtis potentium desideriis &c. usque complere. Eapropter, dilecti in Dominum filij, vestrī justis precibus inclinati, permutationem inter dilectos filios Roffridi dum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem Abbatem & conventum Casinensem ex parte una & vos ex altera super quibusdam hominibus quos carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris tibi, fili Iohannes, & heredibus tuis in castro Plumbarolæ concederat, pro quibus in territorio dicti castri prefati Abbas & monachi vobis quandam startiam concesserunt, rationabiliter factam, sicut sine pravitate provide facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in instrumento exinde concocto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem evidentiam instrumentum ipsum de verbo ad verbum huic nostræ pagina duximus inserendum. IN NOMINE DOMINI nostri Iesu Christi. Anno incarnationis ejus millesimo ducentesimo octavo, & undecime anno regni Domini nostri Frederici gloriissimi Regis, mens Iulij, octavo decimo die ejusdem mensis, Indictione xi. Profitemur nos Roffridus Dei gratia Cardinalis & Casinensis Abbas recepsisse in mandatis à supradicto Domino nostro Frederico Dei gratia illustrissimo Rege ut homines & redditus quos regis curia olim tenuerat in castro nostro Plumbarolæ, quos videlicet ex concessione ejusdem curia Iohannes de Ariano aliquando tenuit, casamat scilicet Diaconi Iohannis Guinisi cum familia sua, casamat Iohannis Petri Guinisi, casamat Leonardi Guinisi, casamat Roffridi Iohannis Boni, casamat Riccardi Iohannis